DE BRONCHOCELE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN HOC...

Iacopo Giudice

Digitized by Google

DE BRONCHOCELE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN HOC ANTIQUISSIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

MEDICINAE LAUREAM CONSEQUENDAM

PUBLICE HABUIT

Jacobus Giudice



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI

Digitized by Google

Digitized by Google

A

VITTORE D.r FABRIS

A Voi che fino dagli anni di mia prima gioventù, per le mediche cure prestatemi, mi avete obbligato a conoscervi per mio benefattore, nella necessaria occasione di esporre un primo lavoro credo di dovervelo dedicare, certo che compatirete la pochezza di esso.

Di Voi

Obbedientissimo
GIACOMO GIUDICE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE BRONCHOCELE.

Morbus de quo agimus Graecis sub nomine βρογχοκήλης (probasis gutturalis) innotuisse videtur. Isto verbo veteres quamlibet tumorum speciem collum occupantem indicabant. Ab Italis nuncupatur *Gozzo*. Latini diversis utebantur vocabulis; consuetissima denominatio *Struma;* voces minus vulgatae, partim a recentioribus inventae sunt *strumella botium* (bocium, gossum, gotium) *guttur globosum*, *tuber gutturosum ; deironcus tracheophyma* , *thyreophima* , *thyreoncus*, *thyrontia*, *thyreocele*.

DEFINITIO.

Sub *struma* intelligimus tumorem inter cutem et arteriam asperam, in multis regionibus endemicum, hinc inde tamen sporadicum, plerumque indolentem qui glandulam thyreoideam, et vix non semper textum cellulosum ambientem, in nonnullis casibus etiam glandulas colli vicinas spectat et ab accumulatis humoribus aut serosis, aut plus

Digitized by Google

290

minusve tenacibus non raro a textu degenerato dependet, ideoque in genere glandulae thyreoideae hypertrophiam sistit. Tumor ipse in exordio plerumque spongiosus et elasticus tangitur, postea nodosus, interdum durissimus fit, et ad molem ingentem augeri potest. Color cutis ab initio non mutatus, serius venas subcutaneas numerosas et varicosas ostendit.

NOSOGRAPHIA.

Strumam brevi tempore evolvi inter rarissimos recensetur casus; huic formae acutae inflammationem glandulae acutam praecessisse. Longe saepius admodum lento incedit passu, quin aeger ipse observet, quippe quod intumescentia dolorem non pariens in latitudinem magis diffunditur, nec certis limitibus circumscribitur. Tumor mollis elasticus ac mobilis sentitur, neque ex digito premente foveolam recipit. Aut integra simul intumescit glandula (sub forma lunae crescentis) aut pars tantum primo adficitur, quo in casu tamen plerumque aliquo tempore elapso cuncti lobuli, licet non semper eodem gradu, corripiuntur.

Haud raro anni elabuntur, priusquam tumor rapidiori terreat incremento. Temporis tractu digito explorante hinc inde noduli duriores animadvertere licet. Interdum struma adspectum inaequalem praebet praesertim in illis terrae plagis, ubi haec deformitas endemica observatur. Venae

Digitized by Google

sub cute decurrentes anfractibus mirificis tumorem obducunt, et obscure caeruleo eminent colore. In summo extensionis gradu cutis cupreum, nigro-rubescentem aut lividum induit colorem. Struma perfecte evoluta plerumque basi lata sternum versus dependet, nonnunquam umbilicum, imo et genua attingere visa est. Ubi superior glandulae portio minus cedit, tumor ad latera magis extenditur, et cervicem, aurem et scapulam amplectitur. Si carotidibus insidet, motus pulsans in eo animadverti potest. Hoc ad latus incrementum et, experientia teste, sinistrum latus frequentius vexans laryngem a situ normali protrudit, et ita suffocationis periculum inducere valet. Funestiori adhuc omine evolutio strumae intus tendit (struma interna), qua fieri potest, ut trachea comprimatur, cartilagines singulae incurventur aut frangantur. Imo et oesophagum quandoque ductumque thoracicum strumis angustari exempla extant.

Struma majoris voluminis, praecipue si organa nobiliora nimis premit, fons molestissimorum malorum esse potest. Aegri respiratio fit anxia, stertens, anhelosa, vox rauca coaxans, loquela obscura, deglutitio quoque impeditur: postremo tandem tristissima suffocationis symptomata irruunt, aut apoplexia minatur. Raro tamen ad hunc vehementiae gradum adscendit; ut plurimum morbus mitius decurrit, ita ut strumosi utcumque bene valentes ad summam senectutem pervenire possint, etiamsi tumor ad molem haud exiguam ado-

Digitized by Google

392

leverit. Interdum per vices crescit et decrescit tumor, cujus phaenomena causam modo in lunae phasibus, modo, et majori quidem jure, in caeli humida tempestate, nec non in menstruatione quaerebant. Id saltem evictum est, his rebus faventibus, inflammationem glandulae thyreoideae chronicam facile exoriri, quae dolore acuto, pungente aut tensivo, insigni diuturniori mora degenerationibus sensim majoribus ansam praebet, quae, si suppuratio intrat, facile in destructiones carcinomatosas transire potest.

DIVISIO.

Antiqui medici, quum diversissimos colli tumores strumae nomine designarint, varias hujus mali formas confundebant. Recentiori demum aevo singulae formae distinguebantur, negari tamen nequit, has ipsas mutuo inter se transire, junctasque passim incedere.

Distinguuntur tres potissimum strumae species.

1. *Struma lymphatica*, forma omnium communissima, cujus characteres sunt: tumor elasticus, aequabilis, et, utut saepe grandis, minores molestias ciens, nec raro cretinismo junctus. Ejusdem structura admodum differt; plerumque est cellulosa, cellulae lenticulae usque pisi magnitudinem aequantes variis locis condensantur, et indurantur; continent frequentissime humorem pellucidum, serosum, aut magis gelatinosum, et vi-

Digitized by Google

ƒ ʕ·'.

scidum. In nonnullis casibus massae granulosae fuscescentis deprehenduntur. Plerumque vasa tum venosa, tum arteriosa, tum etiam lymphatica simul intumescunt.

2. *Struma vasculosa.* Huic formae vasorum glandulae thyreoideae turgescentia subesse solet, quae crebro statum inflammatorium comitem habet. Ejusmodi strumae per vices dolent, et saepe cum haemorrhoidibus aut menstruis suppressis, immo quandoque cum fluore albo in nexu causali versantur. Nonnunquam originis est mechanicae (ex nimia intentione) in quo casu eo loco, quo tumor incipit, dolor ardens, vehementissimus percipi dicitur.

Struma sanguinea cruorem viscidum, nigro-rubrum includit. Interdum vasis ruptis haemorrhagiae internae nascuntur, quibus apoplexia aut suffocatio provocari potest; aut sanguis ad extus tendit; sic sanguis menstruus per ulcera in strumae superficie enata depluens visus est. Plerumque tamen sanguis in textum cellulosum glandulae effunditur.

3. *Struma scirrhosa.* Vix non in omni casu, struma per longius jam tempus persistente, sparsa inveniuntur in ipsa concrementa cartilaginea vel ossea. Superficies externa non raro capsula fibrosa aut cartilaginosa includitur. Huc pertinent etiam depositiones farinosae, sabulosae, quibus omnibus degeneratio scirrhosa stricte sic dicta, steatomatosa aut alia jungi potest, ita ut vix ullum possit cogitari cacoplasma; quod non in struma de-

Digitized by Google

394

genarata repertum sit. Struma scirrhosa plerumque senes infestat; tumor est plerumque modicus, sed eo durior, quo magis destructio scirrhosa caput extulerit.

Superficies fit summopere inaequalis; nonnunquam, observante Cla. P. Frank, glandula degenerata absconditur textu celluloso materiis fluidis turgido superjecto. Si durities notabilis est, aegrotantes dolorem interdum fugacem persentiunt et cachectici fiunt.

DIFFERENTIAE.

1. Obesitas colli (*Struma adiposa*), adipis copia largior in tela cellulosa subcutanea collecta. Quae vero intumescentia mollior, aequabiliter extensa, haud circumscripta, ab initio statim super totum collum diffusa et totius corporis pinguedine luxuriante plerumque consociata cernitur.

2. *Struma cystica.* Tumores cystici in collo nonnunquam strumam revera aemulantur. Verum illi tumores molles et elastici in genere mobiliores sunt et magis circumscripti, et si serum aequabiliter in textu celluloso dispensatum est, obscuram fluctuationem percipi posse tradunt.

Ejusmodi tumores et hydatides in individuis scrofulosis, arthriticis et syphiliticis lubentius occurrere aliqui asseverant.

3. *Struma glandulosa.* Intumescentiae glandularum colli scrofulosae ab initio indurationes separatas referunt, immediatim sub cute sitas;

Digitized by Google

plerumque symptomata scrofuloseos simul adsunt.

4. *Struma emphysematica.* Haec adfectio admodum rara post partus difficiles, tussim, vomitum, cachinnum, clamorem, instrumentorum inflandorum tractationem oriri, et tumor pressione adplicata fere penitus evanescere, sub quavis inspiratione redire, et universim eadem celeritate adparere et disparere dicitur.

5. *Bronchocele proprie sic dicta.* Hernia trachealis. Differt haec affectio a struma potissimum eo, quod expiratione aut spiritus retentione tumor augeatur, sub inspiratione minuatur, quod porro pressione adhibita evanescat, sed mox iterum revertatur. Quae abnormitas itidem rarissime occurrit, et invadit praesertim infantes multum vociferantes.

6. *Pharyngocele* non facile medicum fallet; nam intumescentia talis in alterutro tantum latere laryngem inter et vertebras cervicales conspicua sub deglutitione ciborum multum increscit, et pressione externa aut vomitu in arctiores contrahitur fines.

7. *Aneurysma carotidis:* hoc facile confundi posset cum struma vasculosa; ast si tumor aneurysmaticus attollitur, pulsatio nihilominus persistit; si idem tentatur in struma vasculosa, pulsatio prorsus cessat aut saltem valde remittit. Tandem aneurysma molle est pressioni et unum tantum latus consuetim molestat.

Sunt demum qui a natura praediti sunt glan-

Digitized by Google

290

dula thyreoidea magis evoluta, quemadmodum etiam narrant aliqui, hanc glandulam nonnunquam per breve tempus intumescere, uti sub diebus menstruationis sub graviditate etc. Caveat ergo medicus ne in tali casu strumam adesse somniet, et ad medelam perversam inde seducatur.

AETIOLOGIA.

Nonnulli credunt causam esse disponentem morbi de quo agimus peculiarem receptivitatem glandulae thyreoideae ex atonia prodeuntem in potentias nocentes. Alii accusant abundantiam vasorum et telae cellulosae glandulam ambientis copiam. Id vero evictum est, sexum sequiorem struma saepius defoedari quam viros, de cujus phaenomeni causa vero hodiedum ambigitur. Aetas juvenilis ad glandularum intumescentias universim proclivior, crebrius struma lymphatica infestatur, dum e contrario scirrhosa senibus ac vetulis potius infensa sit. Nonnulli etiam strumam haereditariam viderunt.

Inter causas strumae praecipue endemicae numerantur prae omnibus: commoratio in regionibus montuosis et praecipue alpinis, in regionibus paludosis; continuus usus aquae specificis qualitatibus insignis.

Praeter has causas aliae etiam a medicis adducuntur, quibus adscribunt originem strumae sporadicae, sic victus pravus, vitas sedentaria. Est etiam productus saepe conatuum vocem

Digitized by Google

emittendi, quam ob rem videmus eam evolvi post accessum irae, vel post partum potius difficilem.

Sunt tandem quidam morbi qui in nexu causali cum struma esse traduntur. Huc pertinent:

1. *Scrofulosis*. Negari non possumus utrumque morbum saepe junctum occurrere, utrumque in iisdem regionibus saepe saevire, nec raro strumam antiscrofulosis sanatam esse; sed tamen uterque morbus differt toto caelo. Saepe scrofula ad summum pervenit gradum, quin strumae vestigium compareant. Struma plectit frequentius aetatem pubertatis, scrofula aetatem infantilem. Evolutionem tamen strumae diathesi scrofulosa valdopere adjuvari concedimus.

2. Arthritis in strumae evolutionem influere videtur.

3. Lepra in nonnullis strumae praecipue scirrhosae casibus latere videtur.

NOSOGENIA.

Prisci medici deducebant genesin strumae ex humoribus pituitosis; sed ego credo, quod solam genesin strumae eudemicae cognoscere possimus. Corpus enim crudis nutrimentis potulentisque ineptis oneratur, simulque ab incunabulis aer inspiratur corruptus; sic fieri potest, ut eo tempore quo systema abdominale nondum praevalet, scilicet pubertatis periodo, qua thoracica potius organa imperium sibi vindicant, ut eo inquam tempore glandula thyreoidea praeprimis harum noxarum influxum experiatur, quo ejus functione

Digitized by Google

297

necessario laesa, humorum stagnationi ac degenerationibus omnis generis ansa praebetur. Ubi relationes endemicae adeo infaustae sunt, ut vitae animalis germen jam in evolutionis exordio reprimatur, ac systema lymphaticum sumtibus systematis nervosi emineat, cretinismus prodit, quem licet non semper, saepe tamen strumae endemicae socium cernimus.

PROGNOSIS.

Struma e causis fortuitis orta nec jam inveterata in subjectis juvenilibus ut plurimum sanationem admittit; ubi vero aut aeger, aut morbus senescit, nonnisi raro interdum omnino non tollitur. Endemica struma semper obstinatior, in recidivam prona, caelo mutato quandoque sponte sanatur. Strumam in media glandula thyreoidea exortam pervicaciorem esse ferunt; et revera sanatione incipiente tumor a latere consuetim primo decrescit. Senectute obrepente struma interdum disparet.

Post variolam exantlatam, scirrhum mammae evolutum, post terrorem, diuresin validiorem et diarrhoeam evanuisse traditur. Nonnunquam, inflammatione secundaria forte exardescente, suppuratio ingruit, qua, si puri ad extus iter patet, omnino sanatio effici potest. Post strumam arte sublatam interdum tussim chronicam, dyspnoeam constantem, phthisin et scirrhositates enatas esse, aliqui credunt.

Alii degenerationem strumae carcinomatosam

Digitized by Google

ejus laesionibus, therapiae perversae, nec non menstruis circa climatericos annos cessantibus insecutam esse perhibent. Ceterum strumosi ad summam saepe perveniunt senectutem; opportuni tamen sunt in dyspnoeam; quandoque, maxime post intentionem corporis nimiam, auditu gravi visusque hebetudine laborant; si in morbum incidunt febrilem aut colli pectorisve aegritudinibus corripiuntur, in majori periculo versantur quam alii. Ad strumas majoris voluminis tandem hydrothoracem, morbos chronicos cordis et oesophagi nonnunquam accedere experientia docuit. Tandem omine tristissimo mors aut suffocativa (ubi trachea et larynx nimis premuntur) aut apoplectica (praecipue si in venis jugularibus sanguinis refluxus intercipitur aut retardatur) aegrum e medio tollere potest.

THERAPIA.

Haec praestare conamur partim diaeteticis adminiculis, partim remediis tum pharmaceuticis, tum chirurgicis.

Quemadmodum in aliis morbis omnium primo regimen diaeteticum justum circumspiciendum est, quia secus medicaminum, utut optimorum, actio aut tolleretur, aut obtunderetur, ita et in struma tractanda se habet. Etenim totus ac princeps therapiae cardo versatur in eo, ut causae amoveantur, quibus non sublatis, nulla salus speranda est. Strumosis habitatio salubris sic-

Digitized by Google

ca, motus corporis modicus in aere libero commendandus est. Omnes cibi farinosi, fumo durati, in genere digestu difficiles omnino non quadrant; seligantur potius cibi eupepti, diuresin leniter promoventes, alvumque apertam tenentes. Omnis potus sit egelidus et talis naturae, ut resorptionis negotium adjuvetur. Struma ligaculo non arctius constringente apte sustentetur, omnis pressio molesta, ex. gr., per collaria, thoracula, amoveatur. Pectus et collum semel aut bis de die ope panni in solutionem saponis saturatam immersi caute lavetur.

Therapia strumae offert complexum modificationum empyricarum inter se valde differentium.

Quoad curam localem commendantur emplastra, unctiones mercuriales, spongia sicca et in pulvere redacta aut ejus cineres, hydrochloras sodae, phosphas calcis.

Remedium internum princeps constituebatur a cineribus spongiae, quae partem efficiebant essentialem cujusvis fere electuarii, tabulae, pastae, et quae in morbum istum ad caelum usque elatae erant.

Sed omnia ista dicerem specifica in oblivionem abierunt, postquam studia Coindet statuere valuere iodio virtutes spongiae tribuendas esse. Quam ob rem multa experimenta ab eo et posteris facta sunt vel hydrojodate potassae, vel tinctura jodii minimis dosibus, nec dubio effectu.

Sed medicus debet esse cautus, quia usus lon-

Digitized by Google

ge protractus medicaminis potius heroici etiam damna producere potest non pauca.

Alia pharmaca referebantur ad classem purgantium.

Inter remedia chirurgica compressio esset indicata, ast quomodo ea uti, quin respiratio ledatur?

Caustica jam a Celso tentabantur, neque tamen periculo carent, quippe quod inflammationes inde productae magnas saepe plagas corripiunt, nec raro fistulas pertinaces relinquunt.

Setaceum majorem effectum producit, promovendo suppurationem, qua volumen tumoris imminuitur, et sic saepe sanitatem perfecte restituendo. Sed tamen in struma vasculosa et indurata locum habere omnino non potest. Praeterea chirurgi dexteritatem summam exposcit, idque praeprimis propterea, quia vasa saepe duplo ampliora, quam statu normali tam facile laeduntur.

Scarificationes, quae vero tum tantum proficuae sunt, ubi struma fluctuat, aut in ipsa tumores cystici latent.

Ligatura. Tum solum ligari potest totus tumor, si mobilis et prominens e pedunculo tenuiori pendet, quod vero nonnisi raro ita se habet.

Extirpatio glandulae thyreoideae. Est operatio tam difficilis et periculosa; sed nonnulli felicissimo cum successu glandulam thyreoideam strumosam rescindebant. Ast rari sunt casus, in quibus haec operatio suadenda esset. Nam struma scirrhosa, quae hac tantum via tuto sanari pos-

Digitized by Google

402

set, plerumque hominibus senio confectis cachecticis inhaeret, qui tantae operationis vix superstites essent et struma formam pyri referens, cultro maxime idonea, raro occurrit. Si vero struma versus laryngem aut tracheam increscens aegrum suffocare minaretur, tum certe, licet infausta prognosi, haec operatio suadenda esset.

PROPHYLAXIS.

Ubi ex influxibus endemicis dispositio haereditaria in strumam fovetur, jam a prima juventute huic malo occurrendum est. Ubi occasio datur, seligatur habitatio in regione quadam altiori; infantuli peregrinae ac sanae tradantur nutrici, servetur mundities maxima, caveatur a refrigerio praecipue colli, aut infantes ad annos pubertatis usque in alienas regiones salubriores mittantur.

Infantibus et parturientibus clamores et capitis reclinatio quantum potest interdicantur.

Puellis tenerioribus, quibus menstruorum tempore glandula thyreoidea intumescit, lotio colli cum aqua frigida admixta aquae vegeto-mineralis quantitate exigua suadetur.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE.

I.

Absque psychologia non est medicus.

II.

Veneris abusus non corporis solum, sed et mentis sterilitatem relinquit.

III.

Anatomia medicinae chirurgiaeque basis.

IV.

Monogamia naturae humanae est consentanea.

V.

Formula medica denotat artis magistrum.

VI.

Diagnosis accurata regit curam.

VII.

Luxuria hominum multorum morborum mater.

Digitized by Google